



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXXV. De consecratione Ecclesiarum, Altarium, Calicum & aliarum rerum
Sacramentalium, & de earum virtute & efficacia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

hoc seruiunt, vt in talium mentibus diuinorum mysteriorum admirationem excitent, & reuerentiam gignāt, quod sanè ipsis vtile est. Qui autem capacioris intellectus sunt, obligantur harum cæremoniarum mysticationes perspectas habere, iisque dum missam audiunt se occupare, ne mente euagētur, & ad impertinētia dilabantur, de quibus supra aliqua tetigimus: Ideoque de his tacentes ad consecrationē sacrorum vasorum, & locorum in quibus diuina mysteria peraguntur, & similia, quæ ad celebritatem sacrificij Missæ faciunt, & ad alios effectus spirituales, ab Ecclesia vtiliter instituta sunt, procedamus.

CAPVT TRIGESIMVM
QVINTVM.

De consecratione Ecclesiarum, Altarium, Calicum & aliarum rerum Sacramentalium, & de earum virtute, & efficacia.

Altera pars Institutionum Ecclesiasticarum continet, vt diximus
CON-

consecrationem altarium, templorum
calicum; benedictionem aque, panis
& similia, quæ vno nomine Sacra-
mentalibus appellantur; tum, quod so-
lemnitatem Sacramentorum augeant;
tum, quod instar Sacramentorum ali-
qualem effectum supernaturalem ha-
beant.

*Vide Bel-
lar. Tom. 1.
lib. 3 ca. 4.*

Fuisse autem expediens, & quæ
necessarium per totam Christianita-
tem Ecclesias, & altaria ædificare Do-
ctores multis pulchrisque rationibus
persuadent: Primò, vt decentius legis
novæ sacrificium perageretur: Secun-
do vt maiori cum reuerentia Deus ad-
doretur: Tertio vt ibidem Eucharistia
& Sanctorum reliquiæ maiore cum
honore afferrentur; denique, vt atten-
tiore cū deuotione preces, orationes
que recitentur, vt sacramenta reliqua
administrentur. Veteris testamenti
homines habebant templum huius-
modi vñibus destinatum; ibi enim sa-
crificia immolabant, arcam foederis
custodiebant, adorabant, psallebant,
docebant, precabantur, vt ex variis
scripturæ locis euidentibus est: & de Chris-
to testantur Euangelistæ eum frequen-

*3. Reg. 8. 2
Para. 6.
Matt. 26.
Ioan. 8.*

ter ob hos fines in templū ascendisse,
 & de Apostolis in eorum actis idem
 refert Sanct. Lucas. Si autem Iuda
 bono iure locum aliquem eiusmodi
 officijs dicatum habuere, an non
 meliore iure Christiani habebunt?
 in veteri lege vrbæ solum, &
 figuræ erant, & si ad nostra com-
 parentur merè imperfectiones: Si-
 cuti itaque erat conueniens Chri-
 stianos certa quædam loca sanctis,
 sacrisque destinata habere; ita eti-
 am Spiritus Sanctus Apostolis & eo-
 rum successoribus ab initio E C-
 C L E S I A E hanc mentem inspi-
 rauit, vt templa in sacros vsus de-
 stinarent, & ædificarent, vt in Ec-
 clesiasticis Historijs videre est. Scri-
 bit Iustinus Martyr Christianos die-
 bus Dominicis ad Ecclesiam conueni-
 re solitos, vt sermonem audirent, &
 sacrosanctum Eucharistiæ Sacramen-
 tum susciperent: Idem Clemens &
 Eusebius referunt; & insinuat satis
 P A V L V S suo tempore Ecclesias fu-
 isse, cum reprehendat in eis mandu-
 cantes, & foeminas in Ecclesia silere
 iubeat.

Neque

Act. 13.

Iust. Apo-
 log. 2.

Clem. l. 10.

Recognit.

Euseb. l. 2.

Histor. ca.

17.

1. Cor. 11.

14.

Decēs est Neque tamen solum conuenienter
Ecclesias erat certa loca sacrorum exercitijs
consecrari. destinari, & altaria sacrificijs perfici
 endis ædificari; sed etiam expediebat
 eadem consecrari, & benedici, tum
 ob rationes dictas, tum ob reuerentiam
 Sacramentis, & maximè augustis-
 simo Missæ sacrificio debitam: Ideo-
 que Apostoli & eorum successores æ-
 dificatis Ecclesijs & altaribus, eadem
 consecrarunt, & plurimis pulcherrimis,
 sanctissimisque cæremonijs Deo
 in sanctorum memoriam dedicarunt,
 & dedicationis diem solemnem quo-
 tannis agi constituerunt. Quæ omnia
 facit Ecclesia ad eorum exemplum,
 quibus Spiritus sanctus similia inspi-
 rauit; Nam de Iacobo Patriarcha legi-
 mus, quod erexit lapidem in titu-
 lum, fundens oleum desuper, ut scilicet
 ibi sacrificaret: Similiter legimus
 quomodo Salomon templum
 iam absolutum & perfectum, Deo
 maxima solènitate dedicarit, & quo-
 tannis solemnem dedicationis me-
 moriam haberi voluerit; Ideoque hoc
 festum Saluator noster approbans,
 tempore Enceniorum in templo re-
 pertus

Gen. 28.

35.

3. Reg. 8.

Ioh. 10.

pertus est. Si quis autem fusius modū *Ioan. 10.*
 consecrandi Ecclesias desiderat legat
 Antiquiores Patres, & ex ijs Gregor. *apud Gra-*
 Nazian. Chrylost. August. & Ber. *tia. De cō-*
 nard. qui pro hisce consecrationibus *secrat.*
 pulcherrimas preces composuerunt, *dist. 5.*
 & in dedicationibus præstantissimas
 orationes dixerunt.

Si autem huius consecrationis fru-
 ctum quæras? Respondeo cum Theo. *D. Tho. 2.*
 logis, quod seruiat, primò, vt excitet *3. q. 83.*
 in nobis reuerentiam erga res diuinas *4. 3.*
 quarum vsus est in Ecclesijs; idque eo
 magis quod earum sanctitatem, & ef-
 ficaciam designent: secundò vt ma-
 lignos spiritus reprimat, qui in locis
 sacris, non æquè ac alibi precantes
 perturbant: Tertiò vt peccata venia-
 lia expiet; Denique vt maiorem gra-
 tiam & spiritualia auxilia apud Deū
 obtineamus. Neq; opus est longiori
 probationi inhærere, cū omnes Theo-
 logi in eo conueniant, quod dicti ef-
 fectus mediantibus eiusmodi conse-
 crationibus causentur, si non ex ope-
 re operato, saltem ex opere operantis
 & consecrantis: Salomonem enim i-
 mitatus Episcopus, ita Deum alloqui-

3. Reg. 8. tur. Respice Domine ad preces seruitur
 & sint oculi tui semper aperti super da
 mo ista. Dubitare autem num magis
 illa Salomonis oratio, quam hæc Be
 piscopi deprecatio, sit exaudita, esse
 illam promissionem Christi in dubi
 um reuocare, quæ dicebat, *Quicquid pe
 tieritis Patrē in nomine meo dabit vobis*

Ioan. 16. Altarium autem & calicum sancti
 ficatio in iisdem & similibus ratio
 nibus fundatur: Si enim ob sacrificii
 dignitatem, & reuerentiam expedie
 bat Ecclesias esse, maximè ob eandem
 rationem decebat altaria ædificari,
 eo quod magis propinquè sacrificio
 deseruiant: Ideoque subinde permit
 titur in locis non consecratis Missas
 celebrare, vt docent Canonistæ; nun
 quam tamen in altari non consecra
 to, aut calice. Vtile ergo & expedie
 diens fuit Ecclesiæ altaria ædificare
 & consecrare, erigere & benedicere,
 eaque omni ornamento auri &
 argenti exornare: Crucis tropheum
 in ijs collocare & adorare; Sancto
 rorum, seu picturas planas, seu
 cælatas imagines colere, & quibus
 possumus modis ea ditare & deco
 rare.

Ornasm
 Ecclesiarū
 est licitum.

rare. Cuius ratio est; Primò quia omnis hic ornatus in cultum Dei refertur, qui pulcherrimis & pretiosissimis donis honorari debet: Secundò, quia ex hoc ornatu alij optimi fructus consequuntur; hæc omnia enim populum ad loca sacra frequentanda inuitant: Crux autem & imagines passionem Christi & Sanctorum eius representant; atq; ita vnumquemq; ad Deum adorandum, sanctos colendum & imitandum alliciunt. Verum quantumuis totus hic Ecclesiarum ornatus, nullum aliud præsidium haberet; quam quod antiquissima Traditione, & scripturarum anthoritate probaretur, certè nobis sufficere deberet id, ad omnem hæreticorum iactantiã contundendam, & calumniam repellendam: Deus enim, vt supra attigimus, magnificum templum, & tabernaculum altaribus, ac vasis necessarijs adornatum, sibi exstrui iussit; & quod maius est noluit Salomon, quicquam in hoc templo apparere, quod non aurum, aut deauratum esset. Iussit quoq; fieri de Cherubin humana effigie, qui arcam foederis alis suis contegerent.

3. Reg. 6.
 Exod. 25.

Antiqui Patres, & primi Ecclesiastici
 e historiarum cōditores, vnanimiter tradidit
 statim post designatas & publicè exornatas
 ficatas ecclesias, crucem in ijs erigenda
 cepisse, imaginesque Christi sculptas
 pingi: & ne quis putet me verba dicere
 vt fidem faciam quosdam eorum
 stes appello. Scribit Damasus in vita
 S. Syluestri Constantinum Magnum
 præter varias in varijs ecclesijs imagines
 collocatas, in Lateranensi Imaginem
 ginem Saluatoris, duodecim Apostolorum,
 & quatuor Angelorum statuas. Nicephorus
 refert Pulcheriam Imperatricem, Beatissimæ
 Virginis Mariæ statuam in templo à se
 edificato collocasse: Et in sexta Synodo
 dicitur S. Epiphanius discipulos eiusdem
 imagines in templis ad eius memoriam
 exstructis posuisse. Barlaamo autem
 eundem honorem tributum scribit Damascenus.
 Sed plura eiusmodi testimonia omitto;
 Ipsa enim ratio dicitur, quibus
 ijs, qui aliquam virtutem heroicam ad
 finem vitæ exercuerunt, perpetuas memorias,
 & trophea excitare: & natura nos
 inclinatur, vt eorum similitudinem
 amemus, & honoremus, quos præter

*Dam. in
 vita Syl-
 uest.*

*Euseb. in
 sua Con-
 stant.*

*Nicephor.
 l. 4. c. 2.*

*Dam. de
 Barlaam.*

tes nobis optaremus, & imitandos proponimus. Ideoque Christianis satis non est Imagines Christi & Sanctorum eius in templis consecrassent; sed ut docet August. & Chrylost. in priuatis insuper ædibus, eas inter annulos, gemas, mundum muliebrem, & pretiosas quæque reponunt.

August. li.
1. de conse.
Euan. l. 19.

Quis ergo, nisi effrons negare audeat hanc Ecclesiarum, Altarium, calicum, & imaginum consecrationem gaudij & laudis materiam nobis suppeditare? docent enim nos maiori cum reuerentia, spirituali profectu, animique satisfactione, diuinum cultum perficere: Nam qui Ecclesiam bene ornata[m] ingreditur, paradysum se ingressum putat: In paradiso caelesti Deus, angeli, & sancti habitant; hic suo modo eidem morantur, ubi eorum imagines resplendent: Deum ibi habitare supra probatum est; Angelos autem ibidem conuersari ex Paulo colligitur, qui vult mulierem in ecclesia velatam esse propter Angelos: Sancti autem ibi sunt, partim in reliquijs suis; partim in imaginibus; partim etiam aliquando in propria persona,

1. corinth. 11.

vt ex historijs patet: ideoque fieri
quit, quin intrans Ecclesiam modor
micam fidei, & deuotionis habeat p
culiare quoddam gaudium spirita
experiatur, maxima reuerentia hui
lietur, deuotione exardescat.

1. Tim. 2. Fateor Apostolum nos velle omni

loco orare: sed negandum propterea
non est, preces in ecclesia fusas, caeteris
ris paribus efficaciores esse ijs, quae
libi fiunt; vt patet ex supra allegatis r
tionibus, & autoritate Patrum cōf

Chrysof.

Rom. 30.

matis: nam vt S. Chryf. docet, quam
uis tibi liberū sit domi tuae aut in ec
clesia orare, non tamen tam bene ibi
quam hic orabis: Quod ipsum Augu
stino exemplo, & ratione illustrans dicitur

August. 1.

2. ad Sim-

plic. q. 4.

Intrauit Rex David, & sedit ante Domi-
num ubi erat arca testamenti, per quam
sacratior, & commēdatior quaedam prae-
sentia Domini accipi potest.

Frequenter itaque Ecclesias adora
mus, coram Deo in omni humilitate,
& submissione nos prosternamus
quia ibi peculiari quodam modo in
habitat. Adoremus CHRISTVM
in sacratissimo Altaris sacramento,
illud enim est vera arca foederis

manna continens, coram qua preces nostras fundere debemus: crucem quoque, reliquias, & sanctorum imagines honoremus: super omnia autem caveamus, ne indecens quid, & indignum in locis sacris perpetremus; nam irascitur Deus cum quem-
Hieron. in 43. Exec.
 piam indignum in templo suo nobis consecrato habitantem inuenit.

Quod factum ostendit Christus, cum de funiculis factum flagello vendentes & ementes subuersis nummulariorum mensis, de templo eiecit, quamuis ea venderent, quæ in ipso templo offerenda erant; ideoque benè ait Augustinus, *Quid si ebrios inueniret, quid faceret Dominus?* aut sicut ait Beda, si garrulos, aut irrisores, & quæuis vitia committentes reperiret? Imò quid fecisset, si ijs obuiasset, qui nostris temporibus loca sacra polluerunt, Ecclesias diruerunt, aras euerterunt, sacramenta conculcaverunt, reliquias exusserunt, imagines comminuerunt, & infinita his maiora & similia scelera designarunt?

S 4 Nun-

Nunquid non flagellum indignationis eius experti fuissent? Dubium non est quin sensissent, neque enim oporteret dissimiles esse in poena, qui similes fuere in culpa. Plangebat aliquando coram Deo Helias, dicens *Altaria tua Domine destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt &c.* Quod quidem effecerat maledicta illa Iesabel Regis Achabi vxor à pseudoprophetis Baal ad hoc instigata; sed in iustam tandem vindictam exarsit Deus; Nam pseudoprophetas illos interfecit populus. Achab autem cum vxore sua, tam pro his, quam alijs sceleribus seuerissime punitus est, vt alibi diximus. legimus etiam Iulianum Apostatam ob profanas indignis modis ecclesias, pariter cū Achabo supplicio interijisse. Quid mirum igitur, si etiam nostri temporis Iconoclastas miris modis Deus punierit? Si hic à pediculis, & vermibus exesus; ille flammis exustus; alij alijs diris poenis & supplicijs vitam finirent, & extraordinarijs cruciatibus exterminati fuerint, vt Deus conceptam contra impios illos iram etiam exterius demonstraret?

Verum

1. Reg. 19

3. Reg. 18

3. Reg. 22

4. Reg. 9

Theodor.

l. 3. cap. 12

et 13

Niceph. l.

10 c. 29

Verum eo vnde abij regressus, quod
 possum singulos hortor & moneo, vt
 vt in Ecclesijs modestè se habeant,
 Deum adorent, sanctorum imagines
 & reliquias colant; idque non solum
 exteriori actu, sed etiam interiori af-
 fectu: Monuerunt nos idem Sancti Pa-
 tres, & ecclesiæ concilia: Amplecti-
 mur & reueremur, inquit Epiphani-
 omne id quod Deo oblatum & con-
 secratum est, siue sit venerabile sig-
 num crucis, siue sacer Euangeliorum
 liber, siue vasa sacra: & Gregor. Naziã:
 Præsepe Domini inquit adora; quæ e-
 nim Deo dedicantur eius participa-
 tione sanctificantur: & S. Chrysof. o-
 stendens, quomodo res sacræ suo tem-
 pore coli solerent ait, Non vides quo-
 modo huius templi limen intrantes
 osculantur? quomodo quidam genu-
 flexi manum basient? Honoremus ita-
 que Ecclesias, loca sacra, & omnes eo-
 rum appendices, ibidemque tanquam
 in locis Deo dicatis decenter, & reue-
 renter nos habeamus. Grati quoque,
 nec beneficiorum immemores ore-
 mus pro eis, qui ecclesiarum, tam æ-
 dificijs, quam ornamentis bona sua

7. Synod.
 Act. 4. 7.

Chrysof.
 Hom. 30

§ §

impende-

*Ædificā-
tes eccle-
sias Deus
remunere-
rat.*

Luc. 7.

Agg. 1.

impēderunt. Ipsi autem annitatur nō solum en ferta tēcta conseruare, sed etiam pro nostris viribus adaugere. Certum enim est Deum largiter remunerari & rependere, quod pro ordinandis, aut ædificandis ecclesijs offertur; credebant hoc Iudæi, ideoque vt pro seruo centurionis facilius lenitatem impetrarent, allegabāt quod ipsis Synagogam ædificasset. Et quamuis nulla remunerationis spes esset, adhuc tamen obligantur ex debito, qui beneficiorum ecclesiasticorum curam gerunt, & his deficientibus opulentiores, & qui sufficientia media habent, vt templa sarta tēcta & in suo ornatu conseruent. Res enim indignissima est, & maximum Christianorū dedecus apud eos videri templa peius tēcta, quam priuatorum, non dico diuitum, sed opificum domus. Plauxit hoc Deus apud Aggeum dicens, *Nunquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta. Ascendite in montem portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit. Alias enim prohibebit cælos, ne dent pluiam; & terram ne germinet.* Et nos er-

go caueamus, ne Deo plangendi occasionem demus. Si autem ecclesiarum & sacrorum locorum curam gesserimus, prout oportet, etiam nostri curam geret Deus, nosque ab omni aduersitate defensabit, & à cunctis malis liberabit: benedicetque terræ nostræ, & fructus eius multiplicabit; ad eò vt nihil habeamus, de quo quæramur: plurima autem de quibus Deum laudemus, totoque cordis affectu ei gratias agamus.

CAPVT TRIGESIMVM
SEXTVM.

*De Institutione Aqua Benedicta, panis,
& similia.*

EX ijs, quæ de consecratione & benedictione Ecclesiarum diximus, liquidò satis constat, nō errare ecclesiasticos cum creaturas insensibiles, vt sunt aqua, sal, panis, cera, oleum, & similia ad bonum spirituale & corporale Christianorum consecrant; nam ex Apostolo didicerunt, creaturam sanctificari per verbum & orationē.

1. Tim. 4.

S 6 Ve